

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Xenophontis, Philosophi Et Imperatoris Clarissimi, Qvae Exstant Opera

Xenophon

Francofurti, 1596

Widmungsbrief

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-331](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-331)





GENEROSO ET ILLVSTRI V.

K A R O L O B A R O N I  
Z E R O T I N I O, M O R A V I C I  
E X E R C I T V S P R O C A E S. M. I N V N -  
G A R I A M P R A E F E C T O S V M M O, N A -  
M E S T I, R O S S I T Z A E, B R A N D I S I I, L V M N I -  
t z æ q u e D o m i n o, & c.

*Litterarum litteratorumq; patrono benigniss.*

FRIDERICVS SYLBVRGBIVS S. F. Q. P. P.



**G**RAVE sane accidit humano ingenio, cum vel coniu-  
gem tenellosq; liberos, vel insigne aliquod ac reipubli-  
ca consecratum opus, velut in medio instituti cursu,  
fati nutu destituere cogitur: non quod triste sit Deum  
ad meliora vocantem sequi; sed quod pupillorum a-  
micorumque iuandorum studium a natura instum,  
agre deponi possit. Ita quamquam non dubito quin *ſ*  
LEVNCLAVIO nostro per quam iucundum fuerit a  
laboriosa arumnosaq; statione sibi diuinitus assigna-  
ta, ad beatam quietem transire: verumtamen quoniam studia sua maxima  
ex parte ad reipublica posteritatisq; utilitatem conuerterat, prius eum quæ  
a se inchoata, affecta, *ſ* propemodum perfecta erant, ad finem perducere cu-  
piuisse, nature ac rationi consentaneum est. In primis hoc sat agebat, ut  
quum longinquis diuturnisque profectioibus bonam Orientalis imperij  
partem peragrasset, ea quæ de rebus Turcicis partim e Græcorum, partim e  
nostratum, partim etiam ex ipsorummet Turcorum scriptis magno labore  
accuratoq; studio ultra superiores editiones congesserat, quam exactissime  
ad posteritatem sua opera transmitterentur. Præter Laonicum Chalcocan-  
dylen *ſ* Prætozem Græcia, transcripserat etiam Constantini Imperatoris  
ad Romanum filium de summa totius Imperij, de sociorum omnium fæderi-  
bus, de hostium viribus, rationibus *ſ* consiliis, copiosissimos luculentissi-  
mosque commentarios, Græce Latineq; illos editurus. Tum ad Ius Græco-  
rum civile canonicumq; (quod præclarissimum *ſ* quantiuis pretij opus, an-  
te aliquot annos e diuersis Europa bibliothecis a se collectum *ſ* absolutum;  
C. V. Marquardo Frehero consiliario Palatino discedens crediderat) mā-

954  
972  
1000  
  
randas  
uisdem  
1003  
o 2 Xe-  
1009  
nis Xe-  
1012  
1013  
ophon-  
1021  
iber, co-  
nterprete  
1144



## E P I S T O L A

gis ac magis augendum & illustrandum, additamenta quadam ab eodem acceperat, quæ, magno illi corpori inserenda, & ipsa Latio donaret. Nec dubium est quin eo tempore quo ista omnia secum habuit, pro indefesso litterarum propagandarum studio, eadem vel omni, vel maiori saltem ex parte absoluerit. XENOPHONTEM certe, qui nunc tertia eius lucubratione in lucem prodit, ceteris sui partibus consummatum, solo titulo ac prefatione orbem reliquerat; ut nobilis architectus, splendida basilica, aliove magnifico edificio, cetera quam accuratissima diligentia elaborato, solo frontispicio non omnibus numeris expolito, inexpectato sati iussu manum ab operis consummatione abstrahere cogitur. Tertiam porro curam ei auctori propterea impenderat, quia cum ante annos XVIIII Xenophontem secundo a se recensitum Henrico Stephano clarissimo typographo recudendum dedisset, isque diutius iusto pressus tandem plane periisse putaretur, ne laborem semel cum gloria exantlatum subterfugere videretur, tertio eum ita repetiit, ut ipse in eo se plane superauerit: eo nimirum omni virium contentione sibi adnitendum ratus, ut quanto maior est Xenophon, vir armorum variaque eruditionis gloria celeberrimus, tanto tersiore pallio prætextaque cultiore a se in Quiritium cœtum emitteretur. nam (ut defuncti verba ex prima eius ad illustriss. fortissimumque Ducem Ioannem Casimirum Palatinum prefatione repetam) Magnæ quædam ac graues in primis cause sunt quamobrem ab omni hominum etate ac genere Xenophontis monumenta studiose legi debeant. & historiam enim scripsit, qua nihil esse iucundius potest: & optimarum rerum publicarum status depinxit; quo nihil præclarius: & doctrinam quæ est de moribus, ex sapientissimi viri Socratis scholis ac disputationibus illustrauit; quo nihil ad hominum vitam utilius: & tuenda rei familiaris præcepta dedit; quod certe ad uniuersos pertinet. Idem non ex eorum est philosophorum numero, qui alicubi in angulis & umbra, culicis passus, ut ille quondam dixit, metiebantur: sed res amplissimas ipse gessit, & apud præcipuos sui seculi reges, magistratus, imperatores, summo in honore fuit. Quæ una profecto causa mouere nos debebat, ut statueremus eius lectionem non priuatis tantum hominibus, sed illis etiam qui loco supra mortales ceteros excelsi sunt, inque rei publicæ gubernatione versantur, utilissimam esse. Nam quem non illi fructum ex commentario de rebus a Cyro maiore gestis capere possunt? quæ non ibi præcepta sunt quo pacto se vir in republica princeps inde usque a primis annis domi, foris; pace, bello; rebus secundis, aduersis; erga superiores, æquales, subditos; amicos, fœderatos, hostes; omnis adeo generis homines gerere debeat? P. Cornelium certe, qui ex Carthagine Africaque victa nomen Africani adeptus est, numquam hos libros de manibus deponere solitum fuisse accepimus. Itidem, graui teste M. Tullio, scimus L. Lucullum summum imperatorem, quum aduersus Mithridatem Ponti regem, cui tantum non uniuersa parebat Asia, cum exercitu mitteretur, rudem prorsus & imperi-

tum



D E D I C A T O R I A.

tum artis imperatoria fuisse: verum quum inter nauigandum hos ipsos, quos dixi Xenophontis libros diligenter lectitaret, tantum profecit, ut de hoste omnium longe callidissimo, ac inprimis strenuo, multas clarissimas victorias reportaret. Quid dicam de libris, quibus Cyri iunioris expeditionem aduersus Artaxerxem fratrem exposuit? Certe ut initio nobis in Cyrostrenui, benefici, militibus grati, sed temerarij: sic libris sequentibus, imperatoris perfecti imaginem in seipso expressit. Ac vel una illa conseruati Byzantij descriptio summam admirationem meretur. quamobrem & Chio, magni olim nominis philosophus, elegantissima eam epistola complexus est ita, ut verissimum narrationi Xenophontea testimonium perhiberet. Gracarum historiarum libri, nostri seculi nobis imaginem representant. Nam & nos inter nos digladiamur, neglecto hoste publico accapitali, perinde atque tunc temporis Athenienses, Lacedemonij, Thebani, Arcades, ceteri, omisis barbaris qui saluti omnium insidiabantur, ruptisque fæderibus, in seipsos arma vertebant. Quapropter magni certe interest, viros etiam principes hosce libros familiariter cognitos habere, neque vel pudore prapediri, vel prauè iudicantium imperitis vocibus deterreri, quominus id faciant, quod olim maximos imperatores facere non puduit. Quod si fiat, inferiorum quoque ordinum homines eo exemplo mirifice excitabuntur. Quocirca ut & Leunclavius noster pro sua virili non nihil ad hoc opus conferret, ut Xenophontis tam utiles libri a diuersis etiam hominibus cum fructu legerentur, non solum Græca exemplaria multis a mendis repurgauit, sed interpretationem quoque nouam adiecit, qua tum seorsum legi sine fastidio posset ab iis, qui Græca non desiderant, tum studiosis litterarum hominibus, utramque linguam inter se quasi conferre cupientibus seruiret. Nouam etiam Adpendicem attexuit, qua ceu face Xenophontea lætationis studiosis praluceret. Ad te vero, generosissime Baro, ut hunc defuncti laborem mitterem, graues ac iustæ fuere causa. Cum enim primæ editionis patronus, & ipse a supremo vniuersi moderatore ex hac vita euocatus sit, non potui circumspicere, qui orba huius editionis tutelam præter te ipsum (ita censentibus etiam C. C. VV. Paulo Melisso, Marquardo Frehero, & aliis qui te singulari studio colunt) aut libentius suscipere, aut melius gerere posse videretur. Nam ut taceam qua tibi cum principibus viris sunt communia, peculiariter ingenij animiq; dotibus ita diuinitus exornatus es, ut qua ceteris vix singula sunt tributa, in te vniuersa sint collata. tum in litteratæ sapientiæ studio, in peregrinationibus, bellicis togatisq; negotiis, multiplici deniq; rerum usu, ita versatus es, ut Xenophontis luculenta in te imago reluceat. eo insuper es iudicij acumine, ut quid ad recti normam quadret, quid ab ea declinet, dextre diiudicare noris. eo item æquitatis veritatisq; studio duceris, ut qua inuidiose carpi premi q; sentis, ea libere fortiterq; pro viribus tuearis. Ad hæc Leunclaviuum nostrum in multis itineribus comitem, & ut aliquot annorum interuallis domesticum, ita huius nouissima



A E P I S T. D E D I C A T.

aduersus publicum hostem expeditionis socium habuisti, magnoq; cum moerore ceu fidum Achatem inuitus inuitum amisisti. Quocirca cum & defunctus has lucubrationes suas illustri nomini tuo dicaturus fuisse videatur, nos illius ceu fratres, tuo eas patrocinio etiam atque etiam commendamus; hoc enixissimo a te studio contententes, ut non hisce modo te tutorem patronumque praebeas, sed ad ceteros quoque defuncti labores in publicum profereandos, ducem te nobis adiutoremque praestes. Nos interea Deum opt. maximum precabimur, ut te cum in aliis laudatissimis institutis, tum in litterarum religionisque aduersus barbaros defensanda ac propaganda infatigabili studio magis magisque corroboret, luculentisque tandem tantorum laborum premiis coronet. Heidelbergae v Kalend. Septembr. Anno Christi M. D. XCIII.

PAVLI